

CUPRESSORUM CANTILENAE

Forsan Dolor soporatus
obliviscens sui
in sinu cupressus dormit
inflammatus flamma solis occidentis

Et dormiens oculis hominum maestis
multa incomprensa
cupressus in susurro dicit

Celsae arbores
viridis virentes viribus
ex longinquitate
fulgent in pallio solari

Et illae sepulchra in sepulchreto
fideliter custodientes
ut amorem in oculis puellae procerae
in crepusculum tacite progredientes
arcana tantum stellis donaturae
illae
celsae
procerae
simplices coniferae !

* *

Ex longinquitate cor tuum vocat
cupressus tacite
de sepulchro matris dicens
cum susurro valde composite

Et dolor ut consolatio crescens
te tristem sed meliorem faciens
cor tuum implet aegritudine

Tu solus vitae calcas discrimina
semper quaerens matris solamina

Memento calcans viam
memento bibens calicem
plenum amaritudine
cor tuum cupressum cum anima vocare

* *

Semper lugubres et funebres
in montem trans imbrem eunt cupressus
sicut tristes viduae

At genae earum plena lacrimarum
nunc fulgent sicut margaritae inflammatae
ut post imbrem rami cupressorum
serena solis luce illucentes

* *

Tam multae in monte cupressi-
numero plures mortui amici

Mortui ita nutriunt scissi
vineta et aërem
aristam et florem

A mane ad vesperum
cantu suo vivis dicentes :
Vinum et panem
florem et aërem
nutriunt sub cupressis dormientes

* *

Cupressus tacens caerulea
plena lucis solaris
palmis florum plenis
istis rosis aureis
ex deserto semper vocat animam

* *

In vestra umbra arida
o cupressi procerae
praesentiens invisibilia
in diem magis vitam diligo
in diem etiam et homines diligo

Plena lucis lunulae
cupressus silens
stellarum palmis plenis
tranquillitatem clamat
istis suis liliis argenteis

* *

Susurri susurrantes
ex corde cupressi venientes
in sinum maris incidentes
de morte nautarum aliquid narrantes
illorum florentium iuvenum

Susurri susurrantes
rosas solares dissipantes
super mutua cadavera natantia
aliorum et iuvenum florentium
et super navem nomine H e l i c o n
in abyssum nigram perditam

Vae matribus et sonoribus
vae virginibus expectantibus
vae fratribus et patribus
et eorum nunc vae liberis
vae nunc omnibus
epicedium cum naeniis cantantibus
et oculos in cupressos tristes
pro consolatione convertentibus

Mare cum ventis undisque aliquid
murmure murmurans et susurrans
omnibus cupressis
ut lugubris praefica
de nautis iuvenibus
qui nunc ambulant cum Naiadibus
formosis nunc in morte sonoribus

* *

Aurora vitrea spem serenam dissipat
supra parvam in colle ecclesiam

Et illa tacens
gaudens sua solitudine
incipit cantilenam

auscultans vocem Solis in cupressus cacumine

* * *

Sed pix pinguis lente fluit
in arbore cupressorum
illa solis et arboris lacrima
aestatem inflammatam memorans

Nunc lucentibus coloribus
ad matrem nigram serpit
delens domum inopinate
sedularum formicarum

O mors
 in sole
Mors in mari
 fit saepius sine lacrimarum . . .

* * *

Laetitia perfundentes cicadae
in corde
 altarum cupressorum

ardenti sole incitatae
in valle parva cantant ebriae

Et tota vallis resonat
dum in caelorum sipario fulvo
scribit dies aenigmata sua

At homo
 viator fessus forte praetergrediens
sistit hanc solarem admirans vigiliam
memorans amoris
clamans illam ut flos myrtae teneram
pulcherrimam Ameliam . . .

* * *

Mane tristes a poëta cupressi interrogatae
de sorte illius Palinuri intrepidi
responsum breve susurro reddentes
fere auribus nihil comprehensibile

Forsan brevi cantilena susurrantes

Palinurum dicunt navigationem amavisse
et illum somnia animae salvantem corpus perdidisse . . .

* * *

Veniam iterum
Tum cupresse
nihil tibi novi dicam

Et tu ex sinu suo cantum cicadae donabis
tantum de solis itinere narrabis

Insulae cupressiferae
semper glaucae et caeruleae
nos salutant navigantes
in ignotam regionem euntes

Et nos ut Argonautae
vellera radiantia quaerentes
arcana cordis Medeae nescientes
somnum nostrum sub cupressis forsan inveniemus

* * *

Et tu vetus
fulmine perculsa
o cupresse sine cacumine
a quo aves fugiunt et cicadae
semper surgis in animo poëtae
ut sis amicus eius infantiae
in hac urbe
ubi omnia mergunt in caligine
Ex ligno tuo
o quondam viridis amice
naves parvae fiunt et remi et arcae
in quibus amores dormiunt
illius celebris poetæ Petrarcae

* * *

Gyparisse
Cyparisse
Telephi fili
in umbra tua lacrimans
cervus iacet
amicus tuus gratiosus

sed verba susurrorum nesciens
in sole attamen aspectat
te
o care Gyparisse siti esuriens !

* * *

Zagreb (Jugoslavia)

T o n S m e r d e l